IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 69r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



certamina paganorum et scuta .i. protectionem perfidam
presumptionis igne spiritus sancti comburet oro. Eeue nos bone
rex a viis dyabolicis et indue nos armis tuis scilicet
euangelice veritatis / continencie / fidei / spei et caritatis.
Vacate ergo o homines qui mundanis illusionibus
armamini a malicia dyaboli / a vicijs / et a tumultibus
contenciosis / quia ego sum dominus / non ille qui vos armauit
qui vos ad nephanda certamina producebat / sed ego sum
deus qui exaltabor per fidem in gentibus et in iudea
Vt iam omnes confiteantur et dicant O omnipotens virtu-
tum est nobiscum et susceptor noster deus xpiani populi
signati per iacob qui dilectus fuit a deo

Ps 46 In quo omnes fideles inuitantur ad laudandum deum

Propheta in persona apostolorum ait cum tot beneficia nobis
fecerit deus.

Omnes gentes ad quas
peruenit gracia dei gaudete bonis operibus
iubilate deo voce exultacionis concordent
manus et ligue ille operentur hec confiteantur
Merito iubilandum et psallendum est deo
Quoniam dominus est qui dominatur omni creature ex-
celsus nobilitate nature qui prius fuerat despectus a
iudeis / terribilis ipse est iudicaturus mundum peccatrice /
rex magnus super omnem terram / quia rex regum est et
dominus dominancium
Propheta in persona apostolorum inquit
Plaudite eciam deo quia deus Subiecit nobis .i.
vniuersitati xpianorum populos iudeorum vel per fidem ut cre-
dentes plenarie domino vel per dignam sue iniquitatis
ulcionem ut perfidos et obstinatos et gentes quersas